



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 30. Trivium a Venetis captum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



eum Dathan, & Abiron damnationem habere statuit. Tandem vero concludit, Venetorum provocationes nullius roboris vel momenti esse, loca etiam quaecunque, ad quae violatores ipsos declinare contigerit, ecclesiastico supponit interdicto.

Secul. XVI.  
A.C 1509.

§. XXX.

*Trivium a Venetis captum.*

Cum interea summus Pontifex ita Venetos sacro fulmine percelleret, Galliarum Rex, nequidem expectato foederatorum auxilio, victoriarum cursum continuavit, atque exercitum facile quadraginta armatorum millibus validum in aciem eduxit; recensabat enim duo cataphractorum, seu Helvetiorum, & plusquam duodecim peditum millia, qua Vasconum, qua Mediolanensium, praeter plurimas alias legiones. Interim vero Veneti impetu facto Trivium brevi ad tantas redegerunt angustias, ut cives ultra resistendo impares deditorem facerent. Tardius equidem Galliarum Rex laborantis oppidi calamitatem comperebat, sine morae tamen dispendio opem laurus accurrit; verum praecisa erat temporis opportunitas; oppidani enim jamjam die nona Maji se suaque victoris arbitrio permiserunt, iniquo licet Gallorum fato, quippe Veneti direpta urbe

Bembo lib. 7.  
Justiniani  
lib. II.  
S. Gelas.  
hist. Ludov.  
XII.

San Gelas.  
l. c.



Scenl. XVI  
A.C. 1509.

præsidium, quod quinquaginta cataphra-  
ctis, ac mille peditibus sub Duce Fon-  
trallio a Calvimontio immiffis constabat,  
bonis omnibus exuerunt. Subita hac  
deditio Rex permotus, hostem ad præ-  
lii discrimen provocare statuit; unde  
Casani Abduam flumen impositis tribus  
pontibus trajecit, hostibus, quamvis non-  
nisi quinto abhinc lapide distarent, tran-  
situm prohibere minime ausis: postea  
eadem die media leuca a Venetorum  
exercitu castra metatus est; cum vero  
loci opportunitas hostilibus copiis pluri-  
mum faveret, eas aggredi, minus consul-  
tum censebat.

§. XXXI.

*Auspicia Agniadellani prælii Gallos  
inter & Venetos.*

Quorumdam Gallorum Belliducum  
sententia eo abibat, ut Rex pugnae  
discrimen haud subiret, priusquam Impe-  
ratoris exercitus adventaret; eo enim in  
Venetos irruente illorum vires sine du-  
bio distrahendae ajebant: at Ludovi-  
cus spretis horum consiliis pugnandi ar-  
dore, quo milites suos flagrare compere-  
rat, opportune usus, die duodecima  
Maji Ripam-altam aggreditur, factoque  
impetu occupat, ac relata hac victoria  
Vacilatam contendit, hostibus aditum ad  
Cremo-